

ctationibus aut incrementis supra modum stimulantibus, la-
cessita vegetatio quandoque longius aberrare videatur a
vulgari sua forma atque specie; cum ipsa quidem anima-
lia, quæ tamen vita magis intrinseca fruuntur, ob eamque
causam aberrationibus vacare deberent, in tanta tamen
temporum, rerum locorumve varietate, non modo forma
atque habitu, sed etiam natura atque indole tantopere
mutari animadvertuntur, ut homines nonnullos immanes,
bestiarumque natura imbutos, feras autem mansuetiores
nonnihil humanitatis accepisse crederes.

Quod si hæc evenire inter animalia possint, quæ
tamen nobilioris generis animantium habita fuere, ut sunt
etiam canes, aves, rangiferi eorumque varietates, quas
proinde nemo ausus est specie diversas judicare: non video,
cur de variis plantarum varietatibus tantopere disputemus,
aut qua re nonnulli impulsivi, forsitan novarum rerum, ut
videtur, nimium cupidi, quam plurimas possunt species
creare velint; quum natura per se quidem integra atque
absoluta, nequaquam adeo sit effrenata atque dissoluta, ut
limitibus contineri nequeat.

Quamquam enim, ut sunt affectiones mortalium, si,
qui in separandis limitandisque speciebus versantur, non-
nihil gloriæ semet accepturos putent, si quid protulerint